

supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si diligenti per te inquisitione prehabita, quod de huiusmodi pacis corroboratione, et dieti Regni tranquillitate proponitur inveneris veritate fulciri, consideratis etiam aliis circumstantiis universis, que super hoc fuerint attendende, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare cum ipsis quod impedimento non obstante predicto inter se matrimonium libere contrahere valeant, et in contracto licite remanere auctoritate nostra dispensare procures. Dat. apud Vrbem Veter. Idibus Februari. Anno Tertio.

785.

1284 d. 1 Mars.

Rom.

Påfv. MARTINUS IV:s Tillstånd för Kon. MAGNUS I att i Hof-Capelle låta hålla Gudsjanst efter sjelfva Romerska kyrkans ordning.

F. 1: 320. An. 3. Ep. 121.

*Martinus IV. instante Rege Svetiae indulget, ut in divinis officiis in Regia Capella celebrandis ordo Romanus perpetuo obseruetur.*

*Martinus &c. Carissimo in Christo filio Magno Illustri Sweorum, et Gotorum Regi Salutem &c.*

Cum sicut lecta Nobis tua petitio continebat ob reverentiam Romane Ecclesie Matris tue cupias in divinis officiis celebrandis in Capella tua ordinem ipsius Romane Ecclesie observari. Nos tuis devotis supplicationibus annuentes, tibi auctoritate presentium indulgemus, ut idem ordo in celebrazione divinorum ipsorum apud eandem Capellam tuo, et heredum tuorum Swetie Regum temporibus imperpetuum observetur. Eadem auctoritate nihilominus concedentes, ut hii, qui divina premissa pro tempore in Capella celebraverint memorata huiusmodi ordine dumtaxat sic possint esse contenti, quod ad ea celebrandum aliter vel secundum alium ordinem minime teneantur. Nulli ergo &c. hanc paginam nostre concessionis infringere &c. Si quis autem &c. Dat. apud Vrbem Veterem Kalendis Martij Anno Tertio.

786.

1284 d. 2 Maj.

RAGVALD INGESSONS Gåfvobref på Östraby i Hults socken till Alvastra kloster. m. m.

A. 3. v. 1: 9.

Jn nomine patris & filij et spiritus sancti amen. Ego Ragnualdus Jngonis filius in extremis positus. considerans uite presentis statum instabilem. nichilque cuilibet homini fore durabile. nisi quod ad anime sue salutem ope-

ratus fuerit in hac uita. jntuitu retrjbucionis eterne proque remissione peccatorum meorum. contuli fratribus jn aluastro deo seruientibus. premium meum quod possideram in østraby parrochie hvlz in uitdbo. telam etiam baldachini quam ad claustrvm ipsum afferri feci. insuper pro redempcione itineris iherosolimitani quod deo uoueram contuli terram quam possideram in ølandia redimendam ab heredibus meis pro undecim marcjs argentj. Ceterum fratribus Scheningie & fratribus sudercopie confero dexterarium meum ut quilibet eorumdem eiusdem precij dimidiā recipiat portionem Jtem sex uernaculis confero libertatem. Jn huius facti testimonium presenti scedule sigillum dompni abbatis aluastri una cum sigillo proprio duxi affigendum Datum anno domini. M°.CC°.LXXXmo. quarto secunda die post festum apostolorum philippi & iacobi.

Sigillen, som sutit på utklippta remsov, äro bortfallne.

787.

1284 d. 11 Maj.

Rom.

Påfv. MARTINUS IV:s Bref till Dom-Prosten i Upsala rörande tillstånd för Prestmannen JOHAN HENRICSSON att, oaktadt han ej var född af lagligt äktenskap, till andeliga befattningar befördras.

A. 1. d. 78. \*)

MARTINUS Episcopus seruus seruorum dei Dilecto filio. preposito wpsalensi Salutem & apostolicam benedictionem Accedens ad presenciam nostram, Dilectus filius Johannes henrici de arosia clericus wpsalensis dyocesis. nobis humiliter supplicauit, vt cum eo super defectum natalium quem patitur, de soluto genitus et soluta, quod huiusmodi non obstante defectu possit ad omnes ordines promoueri, ac ecclesiasticum beneficium optinere, eciam si curam habeat animarum, dispensare misericorditer curaremus, Ad te igitur, cum Ecclesia wpsalensis, pastore vacare dicatur, ad presens, remittentes eundem, discrezioni tue per apostolica scripta mandamus Quatinus, consideratis diligenter circumstanciis vniuersis, que circa ydoneitatem persone fuerint attendende, si paterne non est incontinencie imitator, sed bone conuersacionis et vite, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare aliasque sibi merita suffragantur, ad dispensacionis graciam optinendam, secum supra premissis auctoritate nostra dispenses, prout secundum deum anime sue saluti videris expedire Jta tamen, quod idem clericus prout requiret onus beneficij, quod eum post dispensacionem huiusmodi optinere contigerit, ad ordines se faciat, statutis temporibus, promoueri, et personaliter resideat in eodem, alioquin huiusmodi gratia, quo ad beneficium ipsum nullius penitus sit momenti Datum apud vr bemueterem V idus maij pontificatus nostri, anno quarto.

\*) Efter en af Prosten ANDREAS i Upsala gjord afskrift af d. 19 Maj 1310.